

91 a.
al. i.
; cf.
[att. x. 8.]

conpunctione compositis, in sua, id est Anglorum, lingua proferret. Cuius carminibus multorum saepe¹ animi ad contemptum saeculi, et appetitum sunt uitae caelestis accensi. Et quidem et alii post illum in gente Anglorum religiosa poemata facere temtabant; sed | nullus eum aequiparare potuit. Namque ipse non ab hominibus, neque per hominem institutus, canendi artem didicit, sed diuinitus adiutus gratis canendi donum accepit. Unde nil umquam friuoli et superuacui poematis facere potuit, sed ea tantummodo, quae ad religionem pertinent, religiosam² eius linguam decebant. Siquidem in habitu saeculari usque ad tempora prouectoris³ aetatis constitutus, nil carminum aliquando didicerat. Unde nonnumquam in conuiuio, cum esset laetitiae causa decretum, ut omnes per ordinem cantare deberent, ille, ubi adpropinquare sibi citharam cernebat, surgebat a media caena, et egressus ad suam domum repedabat.

Quod dum tempore quodam faceret, et relicta domu conuiuii⁴ egressus esset ad stabula iumentorum, quorum ei custodia nocte illa erat delegata, ibique hora conpetenti membra dedisset sopori, adstitit ei⁵ quidam per somnium, eumque salutans, ac suo appellans nomine: 'Caedmon⁶,' inquit, 'canta mihi aliquid.' At ille respondens: 'Nescio,' inquit, 'cantare; nam et ideo de conuiuio egressus huc secessi, quia cantare non poteram.' Rursum ille, qui cum eo loquebatur, 'Atamen,' ait, 'mihi⁷ cantare habes.' 'Quid,' inquit, 'debeo cantare?' Et ille, 'Canta,' inquit, 'principium creaturarum.' Quo accepto responso, statim ipse coepit cantare in laudem Dei conditoris uersus, quos numquam audierat, quorum⁸ iste est sensus: 'Nunc laudare

His miracul-
ous gift
of song.

He becomes
a monk.

debemus auctorem regni caelestis, potentiam Creatoris et consilium illius, facta Patris gloriae. Quomodo ille, cum sit aeternus Deus, omnium miraculorum auctor extitit, qui primo filiis hominum caelum pro culmine tecti, dehinc terram custos humani¹ generis omnipotens creauit.' Hic est sensus, non autem ordo ipse uerborum, quae dormiens ille caneabat; neque enim possunt carmina, quamuis optime composita, ex alia in aliam linguam ad uerbum sine detrimento sui decoris ac dignitatis transferri. Exsurgens autem a somno, cuncta, quae dormiens cantauerat, memoriter retinuit, et eis mox plura in eundem modum uerba Deo digni carminis adiunxit.

Ueniensque mane ad uilicum, qui sibi praeerat, quid doni percepisset, indicauit, atque ad abbatissam perductus, iussus est, | multis doctioribus uiris² praesenti- f. 91 b.
bus, indicare somnium, et dicere carmen, ut uniersorum iudicio, quid uel unde esset, quod referebat, probaretur. Uisumque est omnibus caelestem ei a Domino concessam esse³ gratiam. Exponebantque illi quendam sacrae historiae siue doctrinae sermonem, praecipientes eum, si posset, hunc in modulationem carminis transferre. At ille suscepto negotio abiit, et mane rediens, optimo carmine, quod iuebatur, compositum reddidit. Unde mox abbatissa amplexata⁴ gratiam Dei in uiro, saecularem illum habitum relinquere, et monachicum suscipere propositum docuit, susceptumque in monasterium cum omnibus suis fratrum cohorti adsociauit, iussitque illum seriem sacrae historiae doceri. At ipse cuncta, quae audiendo discere poterat, rememorando secum, et quasi mundum animal ruminando, in carmen dulcissimum conuertebat, suauiusque resonando doctores suos uicissim auditores sui faciebat. Canebat autem de creatione mundi, et origine humani generis,

¹ saeculi C¹ saecularium C²; oft AS. ² 'et' rel. C.
³ profect- C. ⁴ conuiui M. ⁵ enim ei M. ⁶ cēd- C. N.
⁷ mihi om. C. ⁸ From quorum to ceruical, p. 262, inclusive is wanting in H₁, owing to the loss of a leaf.

¹ hominum N¹. ² doctoribus for doct. uiris N. ³ esse om. M¹. ⁴ -ta est M.